

PERVETVSTÆ ACADEMIÆ ERFFVIRTH.

RECTOR

JAM

FACVLTATIS JVRIDICÆ

DECANVS,

TOBIAS JACOB
REINHARTH,

JCTVS, PRÆLAVDATÆ FACVLT. ASSESSOR,
ET COD. PROF. PVBL. ORDIN.

ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITIS DE GLEICHEN ET HAZ-
FELD CONSILIARIVS, NEC NON EJVSDEM CANCELLA-
RIÆ ET CONSISTORII BLANCKENHAIN. DIRECTOR,
CIVITATIS ERFORD. SYNDICVS

ET CONSVL,

AD AVDIENDAM

LECTIONEM CVRSORIAM

ET

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

AD DIEM XXVI. NOVEMBR. MDCCXXXIV.

LECTOREM BENEVOLVVM

HVMANISSIME INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

file 25



Q. D. B. V.



Urti delictum haud parum assimi-
lare rapinae, vel ipso Imperatore
Justiniano teste, manifestum est,
qui *pr. Inst. de Vi bonor. raptor.* ean-
dem furti actionem contra rapto-
rem aequae ac furem concessam
esse asserit, apposite simul deci-
dendi rationem adjiciens: *Quis enim, inquit, magis alie-
nam rem invito Domino contrectat, quam qui vi rapit?* Neque
enim de raptore quod simul fur sit, unquam fuit dubi-
tatum? Furem *improbum*, i. e. audacem & impudentem
eum vocat JUSTINIANVS *cit. loc.* & VLPPIANVS ti-
tulis *furis improboris* in *L. 2. §. 10. ff. vi bonor. raptor.* &
atrocioris in *L. 1. §. 1. ff. de effractor.* eundem insignit. Re-
cte quidem? Nam in eo furtum in rapina ablu-
dit, quod hanc semper, non illud vis comitetur, *L. 3. §. 5.*
ff. de incend. Ruin. naufrag. non quidem *expulsiva*, nec
compulsiva, nec *turbativa*, sed *ablativa*, idque semper ra-
tione raptoris intentionis, quamvis non nunquam
secus ratione ipsius executionis, optime observante
HOPPIO in *Inst. dict. pr. de Vi bonor. rapt.* Accedit in-
super praeter vim nova raptoris qualitas, in fure non
conspicua, scilicet ut alienam rem lucri faciendi gratia
palam contrectet, & auferat. Raptores enim juxta
VLPPIANVM in *L. 2. §. 24. in f. ff. Vi bon. raptor.* deli-
ctum suum, secus ac fures, non celant, sed publicant.
At

At enim vero propter ejusmodi qualitates furti adjecti-
tias raptor fur esse non desinit, quin potius certum est:
Omni rapinæ furtum, sed non vice versa omni furto, utut vio-
lento & in ædibus commisso inesse rapinam; sed posteriori ca-
su tum demum rapinam fieri, si *palam & publice* citra
celandi animum violenta rei mobilis ablatio facta fuerit;
atque ex hoc satis patere puto differentiam inter fur-
tum violentum & rapinam in ædibus commissam,
quam non adeo distinctim invenire potuisse fassus est,
doctissimus KRESSIVS *ad Art. CXXVI. Ordin. Crim. §.*
4. in Not. n. 3. p. 246. Cujus doctrinæ consequens est,
ut quemadmodum supra jam dictum, contra rapto-
rem, præter actionem vi bonorum, actio quoque fur-
ti, non vero vice versa contra furem præter actionem
furti etiam actio *Vi bonorum raptorum* competat;
hæc enim posterior à Prætoze, ut etiam aliquid in
coercenda ejusmodi violentiâ fecisse videri volue-
rit, soli delicto rapinæ fuit appropriata, *pr. Inst.*
Vi bonor. rapt. L. 3. §. 1. ff. Naut. Caup. & Stab. cum
econtra actio furti, utrique delicto tam rapinæ, quam
furti communis manserit. Sed an actio furti æque
manifesti ac nec manifesti contra raptorem competat,
quarum illa in quadrupli, hæc in dupli pœnam datur,
videndum. De priori vix dubitandum, cum secun-
dum PAPINIANI effatum in *L. 80. §. 3. ff. de furtis*
omnis raptor fur manifestus dicendus sit; atque rapi-
na præsentem, resistente & reclamante domino plerum-
que palam committi soleat. Sed hæc ipsa ratio efficit,
ut, de *actione furti nec manifesti* idem statui posse, non vi-
deatur. Sed nihilo secius PAULVS in *L. 1. ff. Vi bonor.*
rapt. prædictam actionem contra raptorem cum actio-
ne *vi bonorum elective* recte concessit; Respexit enim

ad RAPINAM NON MANIFESTAM, quam utique in
ædibus absentis, quas quis vi palamque effregit, inde-
que, nemine vidente, quædam abstulit, existere posse,
VLPPIANVS probavit in *L. 52. §. f. ff. de furt.* econtra
vero PAPINIANVS supra citato loco de eo saltem,
quod ut plurimum fieri solet, intelligendus. Cæterum
usum hujus, quam protuli, doctrinæ, practicum quod
attinet, eum sive persecutionem rapinæ privatam &
civilem, sive publicam & criminalem attendas, haud
exiguum esse facile intelliges. Recte enim se habere
puto SCHILTERI *Ex. ad ff. 49. §. 23.* BERGERI *de us.
act. pœnal. th. 39.* aliorumque sententias, qui adhuc ho-
die actionem vi bonorum in quadruplum rapto con-
tra raptorem, salva persecutione publicâ indulgent, id-
que ex eâdem verè ratione, quâ vel ab ipso CAROLO V.
Art. 157. & 158. Ord. Cr. pœna dupli vel quadrupli in furto
expresse approbata, vel Jcti Vitebergenses apud WERN-
HERVM *Obs. 24. Vol. II. P. III.* reum actione quod me-
tus causa conventum, in casu contumaciæ in quadru-
plum condemnare non dubitarunt. Nihil obstat er-
go, quo minus usum ejus, quod de furti & vi bono-
rum raptorum actionum concursu electivo ex Jure Ro-
mano supra asserui, nostris foris quoque hodiernis vindi-
cem? Quoad criminalem vero persecutionem crimen ra-
pinæ à furto violento sollicitè discrevisse eo magis hodie-
num intererit, cum illud gladio, hoc vero laqueo per Ca-
rolinam sanctionem *Art. 126. & 159.* expiandum. Cæte-
rum hæc quoque rapinæ pœna citra distinctionem,
utrum in viis publicis vel domibus sit commissa, ut meo
quidem iudicio rectè statuit CARPZ. *Pr. Crim. P. 2. qu. 90.
n. 71.* locum sibi vindicat, cum econtra in Dn. KRESSII
sententiam, quâ rapinam in ædibus commissam furti
vio-

8 X

vio-

violenti pœnâ luendam opinatus, partim ab generalitate dict. Art. 126. partim ex eo solo concedere hæsitentem, quod hac ratione rapina in ædibus commissa acerbiori mortis genere quam illa, quæ in viis publicis facta, vindicaretur, quod tamen falvis verbis & ratione legis vix admitti poterit. Pedem ob temporis angustiam heic figere cogor, præsertim, cum pluribus hoc argumentum persequi animo secum constituerit

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. GEORG. FRANCISCVS FRIDERICVS
HELMERSHAVSEN,

Jurium Candidatus verè dignissimus,

de quo, ut quis sit & quam inde a prima pueritia studiorum suorum plane egregiorum inierit rationem, constet, pro more consueto vitæ ejus cursum brevi narratione complectar. Primam scilicet aspexit lucem *Vinariae* d. 16. Jan. A. 1711. Patre viro Prænobili ac Consultissimo Dn. GEORGIO FRIDERICO HELMERSHAVSEN, *Hæreditario in Wallichen & Berlstedt, Serenissimis Ducibus Saxo-Vinariensibus a consiliis supremis ecclesiasticis*; Matre vero fœmina virtutibus omnibus sexum sequiorem ornantibus conspicua ANNA CLARA, FRANCISCI EVSTACHII STAMMEZ, *Mercatoris olim Lipsiensis celeberrimi* unica filia, quæ post aliquot dies, ex quo Candidatum nostrum in lucem ediderat, præmatura morte diem obiit supremum. Optimus pater, quem per Dei gratiam adhuc veneratur superstitem, nihil omisit a primis incunabilis, quod ad rite formandum atque excolendum præstans ejus ingenium pertinere posset, hinc statim privatæ informationi ac curæ clarissimorum virorum eundem tradidit,

X 3

quo

quo artibus ingenuis æque ac bonis moribus recte im-
bueretur. Inter hos inprimis collaudat M. FRIDER.
CHRISTIVM hodie *Eccles. Pœsenecensis Diaconum*, CHRI-
STIAN. MATTHÆI, *Ecclesie Stetinensis in Pomerania jam*
Pastorem, JOH. BENJ. OSWALD, *nunc Ecclesie Graizen-*
sis in Variscia Diaconum, nec non Caselvicensis *Pastorem*, &
CAR. DAN. ANGERSTEINIVM, *Ecclesie Sylvicensis*
prope Halam Pastorem. Jactis literarum humaniorum
fundamentis A. 1728. in Academiam vicinam Sala-
nam se contulit, ibique Prælectionibus Virorum cele-
berrimorum sedulus interfuit Auditor, scilicet: ZIM-
MERMANNI, *jam in Acad. Halens. Phil. Prof. Publ. Ord.*
in universam philosophiam, KROMAYERI ad Heinec-
cii stili cultioris fundamenta, HAMBERGERI ad Wolf-
fi præcepta Matheseos, B. BVDDI ad Theolog. Mo-
ralem, Historiam Ecclesiast. & Isagogen in universam
Theologiam, B. BECKII ad jus Nat. BRVNQVELLI
ad histor. lur. Rom. & ad Jurisprudentiam Struvianam,
& PERTSCHII ad Heineccii Compendium Digestorum.
Cum biennium ferme maximo cum fructu hic tran-
segisset, A. 1730. *alnam nostram Germanam salutavit*, &
quod iter sibi proposuerat, perrexit, usus hac in re du-
cibus Academiae nostræ Professoribus longe meritissi-
mis, Dn. JO. MICH. ROTERMVNDT, *Reg. Elect. Consil. &*
jud. Provinc. Assess. nec non Dn. HIER. FRID. SCHORCHIO,
Fac. jurid. Assess. illo in explicando Digestorum Compen-
dio Lauterbachiano, hoc vero in omnibus tum priva-
tæ, tum publice Jurisprudentiæ partibus pertractandis;
Et cum probe sciret, quantam disputationes academi-
cæ secum ferant utilitatem, nec in hac parte sibi deesse
voluit, multo potius sub moderamine, cujus modo ho-
noricam mentionem injeci, D. SCHORCHII, unacum
aliis

EX

alijs Commilitonibus, & privatim & publice, ductu
Compendii Digestorum Lauterbachiani, disputavit. Me quo-
que Præsede cathedram ascendit, *thesesque ex jure feu-*
dali & publico desumptas mascule maximoque omnium
cum applausu defendit; quemadmodum etiam opera
mea in addiscendis praxeos genuinis & solidis funda-
mentis usus est. Et ne quid prætermitteret temere,
unde aliquis expectari fructus posset, A. 1732. aliquam
anni partem *Colledæ*, egit, ibique manuactione *Viri*
Consultissimi D. JOH. GVIL. SOVFRONII, Perillustr. Dnn.
L. B. de Werthern Justitiarum in Præfecturis Colledæ &
Frohndorff, Cognati quem parentis instar habet, vene-
randi, in addiscendo processu Electorali Saxonico usus
est. Sub finem hujus anni *Lipsiam* se recepit, ibique
viros Consultissimos *MASCOVIVM & B. FRAN-*
CKENSTEINIVM Historiam & jus publicum expla-
nantes, *B. GRIBNERVM* Processum Saxonicum &
jus ecclesiasticum docentem, nec non *GEBAYERVM*,
historiam juris universi, institutiones Justin. & jus feu-
dale tradentem quam diligentissime audivit. Sic igitur
amplissimum Jurisprudentiæ campum non, ut multi so-
lent, præcipiti nimis cursu, sed aliquot annorum inter-
vallo summa cum diligentia & laude emensus est, nun-
ciumque academicæ vitæ tandem mittens *Dresdam*
ante aliquot hebdomadas petiit, animo causas clien-
tum in foro perorandi. Quod ut eo feliciter succede-
ret, optime promeritos in jure honores & privilegia ab
inclyto nostro ordine expetere è re sua esse duxit, atque
hunc in finem, ut ad edenda consueta specimina susti-
nendumque examen rigorosum diem præfigeremus,
literis nobis exhibitis petiit; In hocce satis honestum
desiderium eo liberalius concessimus, quo cultiora
ejus-

ejusdem in Jurisprudentiâ acquisita studia satis super-
que nobis fuerunt perspecta atque cognita; Expecta-
tioni quoque nostræ in enodandis textibus ex utroque
jure eidem communicatis, datisque in examine doctis
ac solidis responsionibus adeo satisfecit, ut nemo no-
strum fuerit, qui non suffragio suo eundem gradu Do-
ctorali dignissimum censuerit. Quam ob rem ut in
totius concionis academicæ facie, quæ reliqua sunt,
specimina edat, ac futuro Deo dante, *die 26. Novembr. in*
pr. Inst. de Vi bonor. raptor. e Cathedra juridica publice
commentetur, nec minus, nobile quod sibi sumsit ar-
gumentum:

DE


SUBJECTIONE TERRITORIA- LI PERSONARVM ILLVSTRIVM

sine Præside contra dissentientium ratiocinia solemniter defendat, licentiam eidem impertiendi nulli dubitavimus. Quos actus ut gratiosa ac honorifica sua præsentia Reverendiss. & Perillustr. Dn. PRO-CANCELLARIVS reliquique Patres Academiæ conscripti ac Cives condecorare velint, est, quod enixe obtendo. Publ. sub Sigillo Facult. Jurid. Erfordiæ d. 21. Novembr. M DCC XXXIV.



Datum der Entleiung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 0640105

7A 2398

